Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



credidimus karitati quam habet deus in nobis. Deus karitas est. Et qui man
et in caritate: in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est karitas nobiscum
ut fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est. et nos sumus in hoc
mundo. Timor non est in karitate: sed perfecta karitas foras mittit timorem:
quoniam timor penam habet. Qui autem timet: non est perfectus in karitate. Nos ergo
diligamus deum: quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo deum
et fratrem suum oderit: mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem vi
det: deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus
ab eo: ut qui diligit deum diligat et fratrem suum. Sancti lucam

In illo tempore. Dixit ieronimus dis. s. parabolam hanc. Homo quidam erat dives:
et induebatur purpura et bysso: et epulabatur cotidie splendide.
Et erat quidam mendicus nomine lazarus. qui iacebat ad ianuam eius
ulceribus plenus: cupiens saturari de micis que cadebant de mensa divitis
nemo illi dabat. Sed et canes veniebant: et lingebant ulcera eius.
Factum est autem moreretur mendicus: et portaretur ab angelis in sinu abra
he. Mortuus est autem et dives: et sepultus est in inferno. Elevans autem
oculos suos cum esset in tormentis. vidit abraham a longe et lazarum in sinu
eius: et ipse clamans dixit. Pater abraham miserere mei: et mitte
lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam
meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi abraham. Fili recorda
re quia recepisti bona in vita tua: et lazarus similiter mala. Nunc autem hic
consolatur: tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos ma
gnum firmatum est: et hii qui volunt hinc transire ad vos non possint:
neque inde huc transmeare. Et ait. Rogo ergo te pater ut mittas eum in domi
um patris mei. habeo enim quinque fratres: ut testetur illis ne et ipsi veni
ant in locum hunc tormentorum. Et ait illi abraham. Habent moysen
et prophetas: audiant illos. At ille dixit. Non pater abraham: sed si quis
ex mortuis ierit ad eos penitentiam agent. Ait autem illi. Si moysen et
prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

Rmi. Nolite mirari si odit Domini. ii. Johis apli.
vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam: